

CHRISTOPHERVS CASIANVS THEOLOGVS FRIBVR/
gensis.



Christopherus Rarbachii in Treuerensi dio cæsi
natus, & à pueris in omni genere literarum o-
ptimè institutus fuit. Is cum prima artiū fundamen-
ta in patria feliciter iecisset, sese Coloniā atq; ad reli-
quas academias cōtulit, atq; uarijs linguis & Theo-
logiæ diligentē operam nauare cœpit. In ea quoq;
facultate adeò profecit, ut Theologiæ Doctor crea-
retur. Postea uerò Friburgū Brisgaudiæ peruenit,
atq; S.lectionis professor constitutus fuit. Cum e-
tiam eruditione & facundia insignis esset, in prima
rio templo concionator constituitur. Hoc modo
Christopherus publicè & priuatim in templo & a-
cademia docendo diligentissimus existit, atq; sibi
magnum nomen comparauit. quin etiam animum ad scribēdum appulit, atq;
Ioannis Gropperi Theologi sermones latinitate donauit. Eo uitæ genere is
Friburgi etiamnū pergit, & omnibus doctis passim innotescit. id quod ipse,
cum anno 1565 ibidem existerem, partim à bonarum artium professori-
bus, partim uerò etiam à quibusdam fide dignis ciuibus intellige-
re poteram. Anon.